DIGITVS *aquæ, est modulus unde salientes tali mensura censentur. Frontinus de aquæ ductibus:* Aquarum moduli *aut ad digitorum, aut ad unciarum mensuram redigendi sunt. Est autem digitus sextadecima pars pedis, uncia uero duodecima. Quemadmodum igitur inter unciam & digitum diuersitas, ita & ipsius digiti: nam alius uocatur quadratus, alius rotũdus. Hæc Frontinus. Paul. lib. 8. dig. de seruitut ib. rusti. præd. l. Lucius Titius. Digitum tibi dono aquæ. Accursius per aquæ digitum intelligit quantum fluit per digitum statuæ.*

DIOECESIS *per œ diphthongum in secunda scribitur, & non diocesis, ut uulgò legitur: neq; accẽtu in tertia à fine, ut omnes proferunt, sed in penultima. Item diœcetes, non diocetes, pro diœceseos præfecto. Est autẽ diœcesis gubernatio siue dispositio, & diœcetes gubernator siue procurator. Cicer. in Epist. Ex prouincia Cilicienſi cui scis tres diœceses astaticas attributas esse. Iustinianus tit. de episcopali aud. l. archigerontes & diœcetæ.*

DIPLOMATA, *sunt codicilli siue libelli, in quibus beneficia à principibus impetrantur, quales nostro sunt tempore quas appellant bullas: dicta quòd in duplicibus tabellis solitæ sunt concedi supplicibus. Sueton. in Augusto:* In diplomatis libellisq; & epistolis signandis. *Idem in* Nerone: Diplomata ciuitatibus singulis obtulit. *Cice. in Epist. ad T. Appium:* Diploma, inquit, statim non est datum. *Apud Iurisconsult. accipitur pro itineris festinatione, hoc est, cum per dies singulos duplicia itinera conficiuntur. Venuleius lib. 45. dig. de uerb. oblig. l. cõtinuus. Quibus, inquit, quasi interpretatio quædam inserta est.*

is qui

© 2011 Real Academia de Jurisprudencia y Legislación